Cap. 11.

L.

Nai ȝndit.

semper diceret: dixerunt. Magister, quare semper hoc loqueris. Nec preceptum domini est: et si solum
fiat, sufficit. ¶ Merito ex karitatis actibus innumerabilium: que amore sunt ad individua sue speci.
Eccli. xiii°. Omnis caro ad similem sibi coniungetur. ¶ Incitare potest et ad idem magna dilectionis
utilitas. Dilectio membra in illo nobilissimo corpore cuius Christus est caput unit, et unitate
membrorum unita adversario resistit: et ad perfectionem perducit. De primo habetur Col. iii°. Super
omnia caritatem habentes: quod est vinculum perfectionis. De alio dicit Tullius. Virtutum amicicia
adiutrix a natura data est, non viciorum comes, ut quia solitaria non posset virtus
ad ea que summa sunt pervenire: coniuncta et consociata cum altero perveniret. ¶ Dispna est que
odium facit: ad idem iritatur proximum. Hoc facit fratrum odium in corpore mistico. quod divisio
continuitatis in corpore humano: ex qua sequitur dolor magnus et quandoque mors. De modo amandi. xii. cap.

Circa modum amandi proximum: notandum quod scriptura
sacra triplex exemplar nobis de hoc ministrat. Primum est amor quo Christus amavit
nos. Jo. xv°. Hoc est preceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Secundum est amor quo
amamus nosmetipsos. Mt. xxii°. et Luc. x°. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Tercium est
amor quem habent membra eiusdem corporis ad invicem. Ro. xii°. Sicut in uno corpore multa
membra habemus: ita multi unum corpus sumus in Christo. ¶ Circa primum notandum quod Christus amavit
nos amore gratuito: gratis scilicet dato non precedentibus meritis reddito. Prima Jo. iiii. In hoc
est caritas non quasi nos dilexerimus eum: sed quoniam ipse prior dilexit nos. Sic amandus est
proximus. Amor eorum qui nolunt amare nisi illos a quibus se cognoscunt prius amari: non
habet graciam apud deum. Mt. v°. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habetis. Nonne
et hoc publicani faciunt. ¶ Item amavit nos amore recto. quia non propter utilitatem
suam sed nostram: non ut a nobis acciperet. sed ut nobis daret. Sic est amandus proximus.
Seneca. Ego amicum paro ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exilium
sequar: cuius morti me opponam et impendam. Ista quam tu describis negociatio est
non amicicia: que quid consecutura sit spectat. Idem. Sapiens habere amicum vult: sed
ob nichil aliud quam ut exerceat amiciciam. ne tam magna virtus iaceat. Aug. Vera
amicicia non pensanda est temporalibus commodis: sed gratuito amore portanda. Ambrosius
Amicicia virtus non questus. Tullius. Amiciciam non spe mercedis sed quod omnis fructus
in ipso amore est: expetendam putamus. Si utilitas conglutinaret amiciciam: eadem
commutata dissolveret. Boecius. Quem felicitas amicum facit: infortunium facit in-
imicum. ¶ Item amavit nos Christus: amore discreto. Amor discretus est qui personas
amat et vicia persequitur. Nec sic personis condescendit quod viciis implicetur. Bernardus. Christus
in carnis assumptione condescendit michi: in culpe vitatione consuluit sibi. Ro. xiii°
Dilectio proximi malum non operatur. Tullius. Nulla est excusatio si amici causa peccaveris,
nam cum conciliatrix amicicie virtutis opinio fuit: difficile est amiciciam manere si
a virtute defeceris. Caritas a parte anteriori homines ligat: facit enim homines concordes
in bono. Amicicia vero mundi a posteriori homines colligat: sicut colligate sunt vulpecule
Sansonis. iudicum xv°. Ipsa enim facit concordes in malo. ¶ Item Christus amavit nos
amore magno. Jo. xv°. Maiorem hac dilectionem nemo habet: quam ut animam suam ponat
quis pro amicis suis. Sic amandus est proximus. Prima Jo. iii°. In hoc cognovimus ca-

Margin: Sen. — Aug. — Tullius — Boecius — B.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.16, 7v – Humbertus de Romanis (Pseudo-), De eruditione religiosorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tcef/5146/49219)